

SILVO KOPRIVA
Ljubljana

UDK 886.3—1=03.71

POTNIKOV DVOM — VIATORIS DUBITATIO

(Fran Levstik)

Ego ipse saepe in mente meditabar mea:
Quid agat viator advena?
In orbe sunt multae viaeque et compita,
Sed quis mihi—Quo—proferet?
Cum fert profundam in vallem iter me deviam,
Non baculus prodest mihi,
Cum mi via est in editum, sudo means,
Supra voraginem tremo.
O liberi pusillanimés, quid vos grave
Durumque iter sic territat?
Animi vigor manu sagaci levigat
Ubique iter quodvis sibi.

SOVRAŽNIKOM — AD INIMICOS

(Fran Levstik — ex parte)

Quae vosmet agitis, cuncta ponderaveram,
Sed non tacebam, nam tacere nescio;
Est icta vestra sic mihi damnatio
Et ira, quae nunc extat a vobis mihi.
Ac nominasti memet ipsi vos canem,
Quod esse vester non volebam ego canis.

POJEM IN SE VESELIM — CANTO GESTIOQUE

(Carmen popolare Slovenum ex Rezia)

Canto gestioque ego.
Sed quid memet hoc iuvat,
Cum me amans non audiat,
Atqui parvae aves modo
Audiunt et ex iugis
Atque ex valle devia
Respondet modo latens
Echo pertinax mihi.